

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

CLXXII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

possit, & alicubi dari locus manendi, quem ex orbe exterminatum Anthagonista velint. Caterum quod Wittenbergenſes Theologos attinet, videre licet mirandum DEI iudicium, qui cum peregrinam doctrinam inducere & aſtu obliterare, atque convellere veritatem à Luthero traditam, Eccleſiarumq; Saxonicarum confeſſionem tentarint, maximo ſint conatu fruſtrati, patefactis aperte nimis ipſorum ſtudiis; non ſine ipſorum confuſione. Paroxyſmus certe gravis fuit, ſed forte neceſſarius & non ſine ſingulari fructu, quod ſoleat dominus mala noſtra, ad ſui nominis gloriam, & Eccleſiæ adificationem convertere. Communicavi hæc fratribus, qui pariter mecum hac rei geſtæ hiſtoria afficiuntur. Gallo Polonus Gracionopoli eſſe dicitur, & edictum promulgaturus, ut qui ex ſuis id obedienter recipiant, gratiam ſint expecturi, qui vero ſecus, fecerint indignationem. Legionem Helveticam habet, & ex ſuis etiam aliquot millia armatorum, & expectat germanicum equitatum, in hoc ut terreat hac potentia inſtructus Hugonotos, aut etiam opprimat, qui ad pugnam in acie ipſi ſint longè inferiores. Itaque unicam illis ſpem eſſe in urbibus, ut in iis ſeſe contra vim defendant, ut quas in eum finem munierint, expectaturi domini voluntatem. Legatio ad Regem ab omnibus ordinibus Helveticis decreta eſt, ſed alia ratione à Pontificiis Cantonibus, quam Evangelicis: quia illi id tantum agent, ut gratulentur novo regi, de pace eatenus mentionem facturi, ſi intelligant, eam ad Hugonotorum oppreſſionem facere, nihilo tamen ſecius Evangelici ſuum præſtabunt ſerïo officium. De fœderis reſignatione nulla mentio, neque de ~~omnibus~~ Ex Belgico redeunt noſtri, laceri & inopes, relictis adminus 1000. commilitonibus, qui dyſenteria perierunt, & ja n non pauci à patria excluduntur, qui ex Tygurinorum, Bernatum & noſtra ditione Hiſpano militarunt. Duces ipſi ſe ſubdixerunt, frementibus contra ipſos militibus. Bene vale in Chriſto Jeſu, Vir Reverende & chariſſime frater, cum uxore, L. Eraſmo, totaque familia, & ſymmiftis fratribus. Reſalutant te mei Collegæ & Grynæus. Scripſi Baſilæ, 11. Septembr. Ao. 74.

Tuus ex animo frater

Sulcerus.



CLXXII.

Salutem in Chriſto.

Quas mitto literas à Rittero noſtro ad te ſcriptas, doctiſſime Domine Philippe frater, meis literis, quas ab eodem Auguſtæ accepi, incluſe fuerunt. Utroſq; mitto, ut videas, cum amicum æquè meum eſſe atq; tuum. Rogo ut operam dēs apud

apud D. Mentonem nostrum, quò manere ei placeat. Omnia quæ nunc illi diffi-
cilia & molesta videntur, facilia erunt & jucunda. Neq; enim necesse est, ut olim
sit, quemadmodum nunc est, vel Horatio teste. Spero fore, ut ad vos intra men-
sem revertar. Essent multa scribenda, nisi perturbarent me negotia molestissima
transmigrationis, ad quam etiam pecunia non abundat. Sed quia DEUS me voca-
vit, faciet etiam, ut ei satisfaciam. Ubi venero, in sinu tuo requiescam. Bene in-
terim vale & pro me ora diligenter, & D. M. Osiurn, Dominosq; Collegas omnes
ex me reverenter saluta. Datum Lauingæ, 3. Octobris, inter maximas occupatio-
nes. 1574.

T. T.

Jeremias Hombergerus.



CLXXIII.

Salutem à Filio DEI, perpetuo Ecclesiæ custode, Reveren-
de Dn. D. Superintendens, amice & frater in Domino dilecte.

Multris modis ostendit filius DEI, Iesus Christus, se præsentem esse suæ
Ecclesiæ, & ejus fidelem curam agere. Documentum vero valde illu-
stre est, detectio fraudum Calvinistarum, confusio persecutorum, præclarum
testimonium datum veritati, & mutatio dexteræ excelsi in Electore Augusto.
Hæc opera regnantis Christi cum aspicio, continere me non possum, quin prom-
pam in lætam gratiarum actionem cum prece, ut perficiat opus
præclarum, quod incæpit dextera sua. Perquam gratum mihi est, quod hi-
storiam conventus Torgensis tam accuratè ad me perscripseris, insignis bene-
ficii loco id pono, & vicissim mea offero officia, si quæ à me proficisci possunt.
Facile autem colligo, molestè te ferre, quot tardius respondemus, causæ verò
multæ sunt. Quia tempestivè cognovimus Electorem Saxonie huc missu-
rum esse formulam concordie, responsum nostrum ad petitionem Ducis
Brunsvicensis Julii distulimus. Ubi verò Electoris formulam accepi, statim
eam describi curavi & legi, tradidi etiam pastoribus legendam, & D. Wigan-
do. Nos toto pectore gratias agimus DEO, quod tam egregium & illustre
testimonium datur veritati, pro qua hætenus pugnavimus solum, hoc tan-
tum quærivimus, & etiam nunc quærimus, ut veritas incorrupta Evangelii
sonet in Ecclesia, profligatis fanaticis sentiis, contumeliosis in filium DEI,
& sincera Lutheri doctrina, thesaurus mundi postremi ad posteritatem sine
fermento sectarum transferatur. Quod ergo ad capita controversiarum atti-
net,

Rrr 3

net,